



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Mansuetudo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

& Paulum Hoffæum, quorum alterum in concionibus Augustanis, alterum in Prouincialatu successorem habuit, miris laudibus, longeque sibi anteferens, extollebat: atque ita ingenuè, nihil ut ^{Ingenua benignitas.} ambigeres, quin ex animi sententia loqueretur. Sapientiam quoque, ut sine fictione didicerat, ita sine inuidia communicabat, aliena opera exponens, sua inuenta conferens, extimulans hos, alios iuuans ad scribendum, & edendum, quæ salutaria publice forent. Minimè erat suspicax, minime malum cogitans: ex bonitate, innocentiaque sua quicquid offerretur vel in optimam accipiebat partem, vel interpretabatur quam mitissime. De nemine conqueri, multo minus obtreectare cuiquam, vel cum quopiam quamuis in religionis certamine altercari.

Insignis erat mansuetudo: ipsos ex animo miserabatur Hæreticos, & deterrimum quemque plurimum: pro quibus & faciebat assiduè, & vndique conquirebat ad Deum preces. Habuit mansuetudinis promendæ campum præter maledicta, & calumnias foede contumeliosas Hæreticorum, cum Ingolstadij olim, tum postea Augustæ ab iis, quos minimè oportebat. Quorum ob-

tractationibus, & offensis aliud nihil præter ob-
 seruantiã, caritatem, honorem omnem & ver-
 borum, & officiorum rependebat, socios admo-
 nens, vt quatenus decori religiosa ratio pateretur
 ad demerendos eos nihil omitterent. Habuit etiã
 nonnullam in societate materiam in eodem ge-
 nere; cum Viennensis Rector suspicionem esset
 ingressus eũ sibi Prouincialem parum propitium
 esse: quod contra erat. Nihil enim malebat amã-
 tissimus Pater, quam studiis eius obsecundare,
 quæ erant optima illa quidem, sed interdum ar-
 dentiora, extraq; id temperamentum, quod Ca-
 nisij vellet modestia, cui declinandæ offensionis
 antiquissima cautio erat. Igitur vt suspicionem
 talem amoliretur, & Rectoris erga se fiduciam a-
 leret, quid non agebat, quid non dissimulabat?
 Cuius &angebatur angore, ferens ægerrime sua
 causa quicquam illi iniucũdum accidere. Recto-
 rem alium Oeniponti iã perfunctus ipse Prouin-
 cialatu, cũ pro suo munere (namq; admonitor
 erat) ex consiliariorum sententia quædam esset
 admoniturus, antequã verbum faceret, veniam
 precari non omisit: iterumque vbi quàm lenissi-
 me quæ necessaria erant scripto exposuit, mode-
 stissi-

stissime sibi rogavit ignosci. Cumque ille item scripto primum placidè respondisset, dein grauius se offensum ostenderet, non tulit mitissimum Canisij pectus Præsidis sui, quem loco Christi intuebatur, dolorem. Coram adiit, perq; benigne ita alloquitur. Libellum exararam, per quem tuo responderem, sed postea rupi, quia inter nos caritas membrana non eget. Quæ antè proposui non eo feci, quo vitio tibi verterem, sed vt occasionem sapienti darem Collegij statum per temet, vel alios explorandi, quæque viderentur constituendi. Inter quæ, cum etiam num commotior ille perseveraret, Canisius ad extremum, quamquam nulla in re offensum iure credebat, tamen vt præcepto Christi obtemperaret, qui monet reconciliandum esse fratrem, non modò qui nos offenderit, sed etiam qui quid aduersum nos habeat, vertit se se ad preces, veniamque institit per mansuetudinem Domini etiam atque etiam rogare. Ita quæ iunioris hominis, & filij, totque nomini- bus inferioris erant partes, senior eas, ac Pater, tantoque superior vltro suscipit, ne quid cui ex se quamuis extra culpam suam, minus lætum resideret. Prodibant officia hæc ex animi ingenua

simplicitate, verissimaq; submissione Christiani viri.

*Virtutes qua-
tuor in Canisio
eminent.*

Et quidem, ne per singula obiens, longum faciam, quatuor inter omnes eminere maximè cōperio Apostolici huius viri virtutes, Humilitatē, & obedientiam, vtramque simplicitate pulcherrima decoratam: tum insigne precandi studium: postremo diuinæ gloriæ, & salutis animorum, religionisque tuendæ, ac propagandæ immensum ardorem. Nihil iterari attinet de repudiatis tanta constantia honoribus, & muneribus amplis. Quæ sine dubio plura ad eum quasi facto agmine conuolassent, nisi planè alienum, & inexpugnabilem animum, qui rerum potiebantur, perspexissent. Aulas quoque quantum defugerit, indicatum est. Illud hoc loco addiderim, cum esset in scribendis literis sanè impiger, tamen sæpè fuisse extimulandum, & tantum non se uero præcepto cogendum, vt ad Cardinales Varmiensem, & Augustanum, & alios responderet, qui cū sanctissimis eius literis vnicè recrearentur, apud Generales Præpositos haud sine querimonia negligentiam accusabant. In Romana etiam Curia expeiebantur literę eius: ille tamen ad neminem ni-

*Prima Humi-
litas.*

si vo-